



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Dissertatio VII. De Tribus Veterum Prussorum Diis majoribus, Percuno,
Picollo & Potrimpo.


urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

DISSERTATIO VII.

De

Tribus Veterum Prussorum Diis
majoribus,
Percuno, Picollo & Potrimpo.

- (1.) Deum esse, gentes cognoverunt omnes. Prussorum Veterum simplicitas. Dii à Boleslao Rege combusti, initium apud veteres Prussos à Diis. (2.) An vera sit historia de tribus Diis majoribus Percuno, Picollo, Potrimpo. Alii Occopirnum primum Deorum Prussicorum faciunt; Alii Curchum. Quis primus Auctor historia de tribus Diis majorum gentium. Sol, Luna, Stella Dii fuere Prussorum. (3.) Ternarius Deorum apud Prussos numerus. Eum acceperunt à Gothis. Ordo inter tres dictos Deos. An fuerint statuae Deorum. Quercus Romoveana undè nomen hoc habeat. M. Pratorius laudatur. (4.) Primus Deorum Percunus. Deus fuerat Fulminum. Ejus Prosopographia & Munia. An sit idem qui Gothorum Thor. An sit idem qui sol. (5.) Secundus Deus Prussorum, Pikollos, Deus inferorum, ejus descriptio. An sit idem qui Gothorum Wodanus sive Othinus. An per eum Luna sit representata. (6.) Potrimpus tertius Deus describitur. Deus erat fertilitatis. Ejus etymon. An sit idem qui Gothorum Frisco. An idem quæ Venus. Venus Armata.

I.  Ulla gens tam fera, nemo omnium tam est immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio, ait Cicero lib. 1. Tuscul. num. 30. pag. 171. Edit. Geneo. Quibus gemina habet & Aristoteles libr. 1. de Cælo cap. 3. text. 22. Documento nobis sunt Veteres

Prussi, qui, licet barbari, Deorum tamen notitiam omninò habuerunt, saltem in eo, quod Deum esse confessi sunt. Referunt, quippe Scriptores nostri, Prussos ante Scandianorum, Waidevuto & Pruteno Ducibus, adventum, cum adèò rudes essent, ut, quæquam per literas animi sui sensa posse alteri exprimere, non crederent; agnovisse nihilominus in ea simplicitate, mundum sine aliquo Numine non gubernari. Quinimò illos Deorum instar colere, quos legendi scribendique peritos videbant, teste Hennebergero *lib. de Vet. Pruss. Conf. Waisselius & alii.* Verùm & hoc ex Scriptoribus nostris non minus certum est, primam apud Veteres illos Prussos fuisse Deorum curam. Quamobrem cum circa Ann. 1014. Boleslaus I. Chrabri Rex Poloniae Prussiam vastasset, Romove quoque urbem Idololatriæ sedem cum Diis Prussicis in cinerem redegisset, Prussi contra Polonos moliri quidpiam non sunt ausi prius, quam cultum Deorum instaurassent, ut auctor est Matth. à Michovia *lib. 2. Chron. Polon. cap. 7.* Henneberg. *in Comment. ad Tab. Pruss. pag. 466.* Sic etiam, cum Prusus quidam Nobilis Ducem Masovia in adulterio deprehensum hastâ transfixisset, Masoviique vicissim Romoveanam urbem cum sacris omnibus incendio delevisent, defenderunt quidem sese Prussi contra vim illatam, in fugam tamen actos hostes prosequi prius non sunt ausi, quam sibi novum elegerint Pontificem sive sacrorum Præsidentem, cultumque divinum instaurassent, si fides est Hennebergero, qui hæc ex Grunovii *Tract. 3. cap. 6.* tradit *in Comment. ad Tab. Prussicam pag. 466.*

II. Cæterum quos illi coluerint Deos, dubitari potest. Quod si Simonem Grunovium consulamus, non pauca ille nobis enarrabit de tribus illis Diis Veterum Prussorum præcipuis: *Percuno, Picollo, Potrimpo*, cultumque illorum secundum omnes circumstantias accuratissimè plenissimèque nobis ob oculos ponet. Fidem etiam Grunovio habuisse deprehendemus plurimos; ex Polonicarum rerum Scriptoribus, Matthiam Strykovium Ostostevicum, & Alexandrum Gvagvinum; ex nostris Hennebergerum, Schüzium, Waisselium aliosque non paucos. Mihi verò hæc non rarò dubia visa sunt omnia, adèò ut etiam, tres illos Deos in Prussia fuisse cultos, prorsus negare sæpius in animum induxerim. Ratio præcipua, quæ tum nitebar, à silentio antiquorum historiae Prussicæ conditorum

torum erat petita. Exstant siquidem adhuc multorumque tenentur manibus quamplurimi Scriptores tum Polonici, tum Prussici Grunovio antiquiores, qui etiam si idololatriam Prussorum ex professo describunt, de tribus tamen illis Diis omnino nihil norunt. Ex Scriptoribus Polonicis adduci possunt Vincentius Kadlubkus, Joannes Dlugoffus, Matthias à Michovia, Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis in Prussia, Johannes Herburtus de Fulstin: Ex Scriptoribus Historiæ Prussicæ pertractant hanc materiam de Idololatria Veterum Prussorum, Petrus de Dusburg, Nicolaus Jerofchinus; Auctor Chronici, quod dicitur Chronicon Ordinis, vel Magistrorum; Erasmus Stella in Antiquitatibus Borussia; Paulus Pol, cujus Chronicon MS. Regiomonti in Bibliotheca curiæ Palæopolitanae asservatur; & tamen horum nemo, ne unico quidem verbo, indicat, illos Deos unquam in Prussia existisse. Auget dubium & illud, quod quidem ex enumeratis Scriptoribus faciunt mentionem urbis Romove, & summi Prussorum Pontificis, Crive dicti, in Romove residentis, nihil tamen prorsus habent de ipsis illis majorum gentium Diis, minimè certè rem adeò notabilem silentio prætermisuri, si quicquam eorum ipsis innotuisset. Sed invalidum fortasse argumentum hoc à silentio Scriptorum petitum, censeari posset, nisi alia validiora restarent argumenta, quibus ea, quæ Grunovius tradit, convelli posse videntur. Contrarium, videlicet quidam Scriptores ejusdem ferè cum Grunovio ætatis asserunt, dum disertis indicant verbis, quis Deorum Prussicorum maximus fuerit olim habitus. Johannes certè Meletius, qui superiore seculo hunc sibi sumpsit laborem, ut ex professo Religionem Prussorum describeret, non dicit, Percunum, Picolumque & Potrumpum fuisse Deos maximos, præcipuoque cultu affectos; sed eos inter postremos recenset Deos: Maximum autem fuisse dicit OCCOPIRNUM, ut Deum cæli & terræ. Idem jam ante Meletium fecerant Georgius à Polenz & Paulus Speratus Episcopi Prussicæ Ducalis in Præfatione Agendæ, quam vocant, Ecclesiasticæ Anno 1530. conscriptæ, ut qui sequentem, Prussicorum Deorum texunt catalogum: *Occopirrus*, *Svaixtix*, *Auxschautis*, *Antrympus*, *POTRYMPUS*, *Bardoayts*, *Polu-nytis*, *PARCUNS* (forfan *Percunos* legendum, cum ex MS.

exemplari, quod mihi se obtulit dijudicari non potuerit, quomodo Auctores ipsi hoc nomen scripserint) *PECOLLOS* atque (fortasse, sive) *PACOLS*. Accedit, quod in Privilegio Anno 1249. d. 7. Id. Febr. à Jacobo Archidiacono Leodiensi Pontificis Romani Legato Prussis Veteribus concessio, dicuntur Prussi abjurasse cultum *CURCHI*, aliorumque Deorum, qui non fecerunt cælum & terram. Ex quo colligitur, cultum *CURCHI* (vel ut alii, quamvis minus rectè *GURCHI*) Dei fuisse apud Prussos eo tempore præcipuum. Ad extremum disertis etiam, verbis Grunovio se videntur opponere antiquiores, qui uno ore referunt, à Prussis *SOLEM*, *LUNAM*, *STELLAS*, aliasque res creatas fuisse cultas. Addit insuper Erasmus Stella Prussos *TONITRUA FULGETRASQUE* coluisse; de tribus illis Diis altissimum ubique est silentium. Quare cum animadvertissem, ante Grunovium (qui Chronicon Prussiae Ann. 1520. scripsit) cultum hunc trium Deorum, eumque adeò ordinatum, nobis descripsisse neminem, commenta hæc cerebri Grunoviani mihi visa sunt. E contrariò verò mihi se objiciebant summa cultus illius (prout à Grunovio aliisque Grunovium Ducem sequentibus describitur) cum cultu Deorum apud Veteres Gothos convenientia, quam Grunovius in tanta literarum in Prussia tunc nondum renascentium caligine, vix adeò affabrè confingere potuit. Idcirco quæ aliorum fidem sublestam reddere solet, hæc à Grunovii partibus tunc stetit, simplicitas. Magno tamen ipsius Chronici Grunoviani perlustrandi & excutiendi desiderio flagrabam, ut ex ipso cognoscere mihi liceret, utrum aliquos, ex quibus hæc hauserit, pro sua sententia citet Auctores. Tandem cum mihi Brunsbergæ à Dn. M. K. urbis illius Consule, Grunovii facta esset copia, reperi in ipsa Præfatione, Christianum primum Episcopum Culmensis Historiam Prussicam scripsisse, quam sic orsus est: *Liber filiorum Belial cum suis superstitionibus Brutice factionis incipit cum mœstitia cordis.* Jaroslauum quoque Plocensem in Masovia Præpositum, qui Christianum ætate præcurrit, Historiam Prussicam condidisse eique inscriptionem sequentem præfixisse in eadem Grunovii Præfatione legi: *Liber Originis & furiarum gentis indomita Brutorum in sanguinem*
Chris

Christianum. Ex his igitur antiquissimorum Scriptorum monumentis Grunovium sua omnia, quæ de Religione Veterum Prussorum posteritati tradidit, hausisse, videbam. Verum neque his acquiescere tum potui, neque nunc, ut verum fatear, acquiescere possum omnino. Quæ enim hoc factum est, quod tam antiqua Historiæ Prussicæ monumenta, post trium demum seculorum decursum, cum antea nemini Prussorum aut Polonorum, Scriptorum essent visa, ad manus solius Grunovii pervenerint? Et si quid ejus generis ad ipsum pervenit, quis nobis persuadere poterit, fuisse Scripta illa genuina, nec recentioribus temporibus ab otiosis ingeniiis (non dico hic de Grunovio ipso, qui, si malâ fide agere voluit, facile ea scripta procudere potuit, ut Historiæ suæ auctoritatem ex antiquitate conciliaret) subdolè conficta? Id verò cogitare eò facilius possis, si non silentium tantum, sed & contraria vetustiorum Scriptorum testimonia perpendas. Ad extremum sic inter varias opiniones fluctuanti mihi, & omnia sollicito animo circumspicienti, illa se prebavit conciliatio. Prussi veteres temporibus Gothorum coherunt tres illos Deos, *Percunum*, *Picollum*, *Potrimpum*, per eosque nihil aliud intellexerunt, nisi *Solem*, *Lunam* & *Stellas*, ut hæc in sequentibus ad oculum patebunt. Postea verò cum Dii illi à Polonis cum ingenti Quercu Romoveana essent combusti, Prussi dictis Diis, utpote qui semetipsos contra vim hostilem tutari non poterant, alios Deos praposerunt, aut saltem, simulacris illis neglectis, Solem ipsum, Lunam & Stellas colere ceperunt. quo factum est, ut antiqui illi Prussorum Historici nulla simulacrorum facta mentione ipsa cœlestia luminaria pro Diis habitasse esse memorarent. Hæc igitur jam defendemus, meliora tamen docentibus cedere parati.

III. Ut autem sine ulteriori verborum circuitione & anfractu propiùs ad rem ipsam accedamus, primò hic omnium ea persequemur, quæ ad tres illos Deos generatim cognoscendos faciunt. Numerum Deorum ternarium fuisse, jam ex superioribus liquet. Idem verò & apud Gothos in Sveonia quondam habitantes observare licet, apud quos itidem tres Dii, nempe *Thor*, *Odhen* & *Frigga* fuere culti. *Vid. Adamus Bremensis in*

lib. de situ Daniae & reliqu. Septentrional. Region. cap. 91. & sequv. pag. 152. Joannes Magnus lib. 1. Histor. Gothor. Sveonumque cap. 9. sequv. Olaus Magnus lib. 3. Histor. Septentrion. cap. 3. Johannes Scheferus in Upsalia Antiqua cap. 5. sequv. & in Lapponia cap. 7. Innuunt hoc nonnulli Scriptorum Historiae Prusicae recentiorum, Prussos illos, de quibus nobis sermo, sacros ritus omnemque religionem suam petiisse à Gothis, quando scribunt, Waidevvtum Alanorum Regem à Sudinis (per Sudinos autem intelligunt eos populos, qui tunc in hodiernâ Sudiniâ, sive ut nostri vulgò dicunt **im Sudawischen Winkel**, ad mare Balticum in extremis Sambiensis Provinciae oris habitabant. Sudinos autem alio in loco Prussiae antiquitus habitasse jam supra demonstratum est) sacra sua accepisse. Jam autem antea ostendimus, Sudiniam hodiernam, quae est Sambiae pars maritima, Gothos olim tenuisse. Ex quo jam elucet, Scriptores illos, dum à Sudinis petita esse sacra referunt, à Gothis ea petita esse manifestè fatis innuere. Vid. Erasmus Stella lib. 2. Antiqu. Boruss. non longè à principio. Alii quoque, qui Waidevvtum Regem Scandinavicum sive Gothicum, eundemque cultus divini apud Veteres Prussos auctorem faciunt, nihil aliud hoc ipso intelligunt, quam hunc ipsum trium Deorum cultum à Gothis ad Prussos esse derivatum. Henneberg. de Veter. Pruss. Waissel. in Chronic. & alii. In ipso trium Deorum Prussicorum ordine quandam, apud Scriptores nostros occurrere differentiam, notandum est. Alii siquidem Percuno Pikollum praeponunt, ut facit Hennebergerus in Commentario ad Tabulam Prussicam fol. 465. Alii primò locò ponunt Percunum, secundò Potrimum, & tertio demum Pikollum, ut Matthias Strykovvski Ossostevicius in Sarmatia Europaea, Waisselius in Chronic. Pruss. fol. 17. b. Nos existimamus differentiam illam non aliunde ortam, quam quod Percuno, ut Deorum Prussicorum supremo medio adeoque honoratior locus fuerat attributus. Idcirco alii, dum Deos enumerant, incipiunt à medio, ut à maximo: Alii verò, qui ab alterutra parte, nimirum aut à dextra, aut à sinistra numerant, illi non dignitatem Deorum, sed collocationis in quercu Romoveana ordinem respiciunt. Adhæc de Diis Prussicis quaeri potest, fuerintne sta-
tuz

tuae ipsis effictæ, an verò imagines tantùm depictæ. Hic distinctè videtur respondendum. In quercu Romove statuas Deorum, fuisse collocatas perquam est verisimile. Confirmant hoc descriptiones Deorum mox subjungendæ, item cultus CURCHI, cujus statuam quotannis Prussi confringere, novamque effingere, solebant, ut postea dicemus. Habuisse tamen Waidevutum, Regem Prussorum tres dictos Deos in insignibus suis depictos tradunt Hennebergerus, Waisselius aliique recentiores, qui etiam nobis has, quas alibi adjecimus obtrudere conantur Deorum effigies. Fuerunt autem statuæ illæ, ut conicere licet, non adeò affabrè factæ. Nam si Lucanus *libr. 3. Pharsal.* de antiquarum gentium Diis dicere potuit:

- - - *Simulacra, mæsta Deorum*
Arte carent, cæsisq; extant informia truncis.

Multò magis id de Prussorum, qui multis aliis gentibus fuere simpliciores, Diis dici posse videtur. Illæ statuæ Deorum Prussorum non fuerunt collocatæ in terra, sed inter ramos Quercus Romoveanæ. Hoc ut rectiùs intelligatur, notandum est, Quercum illam fuisse tripartitam, ut dicit Matthias Strykovski Ostrovecius in *Sarmatia Europæa, ubi de Prussia.* Hennebergerus & Waisselius dicunt: *hat drey Zwelgen gehabt.* Clarissimus Vir M. M. Prætorius sic eam describit: Habuit Quercus Romoveana, tres majores ramos ex uno caudice excrecentes, qui in suprema dictæ quercus parte coaluere, quamobrem etiam quercus illa dicitur *Romove* à Prusicâ vace *Romvu*, quæ in infinitivo habet *Ruomot*, id est, coalescere. Et hoc ipsum etiam Romoveanæ urbi laudatus Dominus Prætorius nomen dedisse arbitratur; confirmat insuper illud, quod de Quercu dixerat, aliis arboribus Prussorum idololatriæ destinatis. Fuit enim non ita pridem in Sylva Districtûs Insterburgensis abies, Ann. 1664. fulmine icta. Hæc erat arbor miræ proceritatis, cujus truncus itidem se dividebat in tres ramos majores, eosque enodes, qui in superiore parte itidem coaluerant. Appellarunt eam abietem Prussi, Lithvani, Samogitæque; contermini *Rommota* vel *Ruombota*, sacramq; habuerunt. Addit idem Vir Clarissimus in horto suo Nebudzenfi

zeni ejusmodi Pyrum trifidam reperiri, quæ etiam Prussis & Lithvanis vocatur *Rommota*, ut & *Rumbota Krausis*, id est, pyrus coalita. Ejusdem formæ Romoveanam fuisse existimat. Præterea, referunt Scriptores nostri, ita fuisse Deos in Quercu collocatos, ne à variis cœli tempestatibus corrumpèrentur. Excrescebant nimirum ex tribus illis ramis majoribus, alii ramuli quamplurimi, qui idola ab externis tempestatum injuriis defendebant. Sed de his vide, quæ dicta sunt superiore Dissertatione. Et hic insigne discrimen observo inter cultum Deorum apud Gothos & Prussos. Gothi namque numina sua non sub arbore, ut Prussi sed in templo, magnificè eam ob causam exstructo, collocata coluerunt. Notant autem Scriptores rerum Gothicarum, tres Deos Gothicos in templo ita suppeditaneo sive aræ institisse, ut *Thor* cæteris altior emeretur: Idem honoris fortasse Veteres Prussi *Percuno* suo, ut Deorum Principi, detulerunt, ut cæteris Diis sublimior conspiceretur: Sed tacentibus hic Prussorum monumentis, nihil temerè affirmaverim. *Vid.* Joannes Schæfferus in *Upsal. Antiq. cap. 5. pag. 38. seq.*

IV. Sed jam de singulis Diis speciatim quædam nobis erunt addenda. Primus inter Deos Prussicos dicebatur PERCUNOS, perperam à Strykovio aliisque dictus PETUNO. Hic igneam prorsus & ira ardentem faciem præferebat, uti & caput flammis coronatum & crispam innodemque nigri coloris barbam, ut eum describit Thomas Clagius *lib. 1. Lindæ Mariana, sive de Virgine Lindensi cap. 8. pag. 44.* Idem habet & Hennebergerus, qui omnia sua, quæ de Religione Prussorum tradit, ex Grunovio deprompsit. Addit autem, Percunum vultu non nisi iram & minas spirante aspexisse adversum sibi Potrumpum. Subscribit prioribus & Schuzius, addit autem præterea, Percunum fuisse effictum in forma viri mediocris ætatis. *in Chronic. Prussico. fol. 2. b. fin. seq.* Credebatur Percunus Deus esse fulminum & tonitruum aliarumque tempestatum, undè hodièque Lithvanis *Percunos* idem est quod tonitru. *Vid.* Henneberger. *de Veterib. Pruss. fol. 11. a.* Schuzius ipsum in ignem imperium exercuisse putat: Utrique autem, Schuzio videlicet & Hennebergero videtur fuisse Mars, Deus bellorum. Feraque horum, quæ de Percuno dicta sunt, conveniunt & *Thoroni* Syeonum Deo. Quod ad insignia Thoronis at-

tinet,

inet, quandam certè hic similitudinem deprehendo. Quanquam enim Johannes Magnus aliique Thoroni coronam tribuunt; Stephanus tamen Stephanius in *Notis ad Saxonem* circumdat capiti Thoronis flammam, in modum Solis alicujus, eodem modo, quo pictores ora divorum exornare consueverunt. Praefectus etiam fuisse dicitur tonitruum & tempestatibus, non secus atque Percunus Prussorum: *Thor*, ait Adamus Bremensis, *praesidet in aëre, qui tonitrus & fulmina, ventos imbresq., serena & fruges gubernat. in lib. de Situ Danie pag. 152.* Nomen proinde ipsum Thoronis à tonitruum multi deducunt, ut Philippus Cluverus *lib. 1. German. Antiq. cap. 26.* & Gerhard. Johannes Vossius *lib. 2. de Idololatr. cap. 33.* Quamvis Johannes Schæfferus non à Tonitruis Thoronem, sed contra potius à Thorone tonitrua esse dicitque arbitretur. *in Upsal. antiqu. cap. 6. pag. 50.* Tribuunt autem plura Thoroni suo Gothicarum rerum Scriptores, cum in manu sinistra duodecim stellas (alii stellas capiti Thoronis circumdant) in manu verò dextra Sceptrum, aut, prout alii volunt, malleum igneum pingunt. An verò hæc Percuno Prussorum tribui queant, dicere non habeo. Verisimile tamen est, si Percunus fuit eum in modum, ut nos eum descripsimus, ab antiquis effectus, manus etiam ejusdem fuisse insignibus quibusdam exornatas. Utrumque vero simulacrum, Thoronis videlicet & Percuni, Jovem veterum, sive ipsum SOLEM retulisse, probatu haut est difficile. *Nam quid aliud volunt stellæ in Thoronis manu, nisi Solis quoddam in eas regimen? quid duodenarius earum numerus, nisi menses duodecim, quibus absolvit suum cursum? aut si fuere septem (ut alii existimant) nisi tot per singulas hebdomadas dies, quibus redit ad initium? Sic profecto vetustissimi Theologi Phœnicum Solem $\omega\omicron\nu\nu\ \delta\omicron\mu\nu\ \theta\epsilon\omicron\nu$ vocarunt, planetas reliquaq. sidera dixerunt nutum ejus observare, & Egyptii dodecatemoria signiferi $\theta\epsilon\omicron\varsigma\ \beta\alpha\lambda\iota\omicron\upsilon\varsigma$ seu consiliarios: planetas verò $\epsilon\gamma\beta\delta\omicron\phi\omicron\gamma\varsigma$ seu lictores solis appellarunt, ut ex Scholiaste Apollonii observat Seldenus in Prolegomenis de Diis Syris cap. 3.* Ita de suo Thorone differit sæpè laudatus Schæfferus *in Upsalia cap. 6. pag. 58.* Quamvis autem ea de Percuno Prussico affirmate dici nequeant, cum ignoremus, num ei Prussi stellas attribuerint; illa tamen, quæ Prussici Scriptores

de Percuni capite flammis coronato referunt, huc apprimè faciunt. Quid enim hoc ipso voluerunt exprimere, nisi Solem undique radiis flammisque cinctum? Illa verò, quæ in subsequenticibus de Thoronis cum sole convenientia scribit Schæfferus, ex assè Percuno Prussico tribui possunt. Pergit enim: *Sed & virtus amovendi tempestates, inducendi serenitatem, procurandi frugum copiam & ubertatem (quæ videlicet Thoroni tribuitur) convenit in Solem. Solis enim illa, post Deum, beneficia.* Nec nostræ huic sententiæ officit, quod Schuzio, Hennebergero, aliis, Percunus Mars fuisse putatur. Illi namque hoc non probant ex aliquo vetustiorum, aut etiam ex effectis Percuni. Et licet etiam hoc probassent, non deesset tamen nobis, quo assertionem nostram, vel illo ipso argumento comprobare possemus. Veteres enim Romani & Græci Jovi suo attribuerunt robur animi & audaciam, quidam etiam populi, ut Cares, Pontici, Cappadoces, colebant Jovem militarem. Quin etiam Jupiter ex secretiore Veterum Ethnicorum Theologia idem est, qui Mars, ut Gerhardus Johannes Vossius uberrimè demonstrat *in libb. de Idololatria.* Apud Svedos quoque viri animositate & fortitudine clari à Thorone Deo vocari solebant *Thurra, Thorive*, id est, fortes audacesque, quod nobis indicio esse potest, apud Veteres Svecos *Thor* Deum non tonitruum tantum atque tempestatum, sed fortitudinis etiam, veluti Martem quendam, fuisse Præsidem. Neque nos igitur absurdi quidpiam statuemus, etiamsi dicamus, Percunum Prussorum fuisse Jovem & Martem. *Vid. Johannes Schæfferus in Upsalia antiqua cap. 6. pag. 58.*

V. Secundum Numen Veterum Prussorum fuit PICOLLOS five PECOLLOS, ut vocatur à Schuzio, Hennebergero, aliisque. Quod autem Auctor Sarmatiæ Europæ ipsum appellat, PATELO, probari non potest. Neque illi rectius sentiunt, qui ipsi nomen POTOLLOS tribuunt. Derivatur enim hoc nomen dubio procul à voce Sarmatica *pieklo*, quæ inferos, five, ut alii vocant, infernum, significat. Ex quo etiam vocis etymo illud deducitur, Picollum fuisse Deum inferorum. Erat ipsi cana barba, facies pallida & sursum prospectans; caput fasciâ candidâ redimitum, ut eum describit Hennebergerus *in Vet. Pruss. &*

in *Commentario ad Tabulam Prussicam*. Thomas Clagius addit, faciem Picolli & hominem & equum & simul bovem retulisse, sed cum nemo vetustiorum, quantum mihi quidem constat, tam monstri capitis faciat mentionem, in eam adducor opinionem, ut credam, Clagium confudisse effigiem ipsam Ficolli, cum insignibus Ficolli, quæ fuerant hominis mortui, equi & bovi capita, ut deinceps, de cultu Deorum apud Veteres Prussos acturi, docebimus. Sed quæ munia ipsius fuerint videamus. Hennebergerus existimat, eum fuisse Saturnum: sed minus rectè, ut ex paulò post dicendis manifestum fiet. Addit insuper Hennebergerus, Picollum in ædibus Nobilium aliorumque divitum sæpius apparuisse, & Sacrificia pro mortuis, si nulla fuerunt oblata, rigidius exegisse. Hoc denique notant Scriptores nostri, Picollum numen fuisse, quod non amari, sed metui volebat. *Vid. Henneberger. de Vet. Prussia fol. 10. b.* Illa omnia ferè conveniunt *Othino* seu *Wodano* Gothorum Deo, qui secundus à Thorone habebatur. Ut enim à Thorone bona omnia promanare putabant Gothi; ita è contrariò ab *Othino* mala omnia. Quamobrem eum Saxo Grammaticus *lib. 2.* vocat *horrendum Friggæ maritum*. Colebant igitur Odinum Gothi tantum eam ob causam, ut à malis abstineret, vel in aliorum capita eadem converteret. Idem fuerat & Prussorum de Picollo sensus. Deindè ut Prussi Picollo imperium in mortuos tribuebant; ita etiam Gothi *Othino* suo vitæ eripiendæ potestatem assignabant, docente Schæffero in *Hpsalia antiqua cap. 7. pag. 70. seq.* Adde, quod etiam illa, quæ de apparitionibus Picolli in ædibus divitum & Magnatum diximus, Gothicarum rerum Scriptores de suo Odino referunt. *Credebant (Gothi) magnates post mortem in Othini domicilia recipi, ibique variis frui deliciis, ac quo quis majorem stragem in vita ediderit, eo majori in æstimo ibi fore. Sperabant quoq; Heroes, se in aula Othini bibituros ex cranis eorum, quos occiderant. ut habet Olaus Wormius loc. cit. Et Baazius lib. 1. Histor. Eccles. cap. 2. disertè: Fecerunt, inquit, Sueci Deum Othinum etiam divitiarum Præsidem, ut hunc colerent homines divitiarum cupidi. Sic credebant antiqui Deum Othinum in domibus divitum habitare.* Notat etiam Schæfferus formulam imprecandi apud Svedos usitatam: *Far till Odens* / id est, vade ad Odinum.

pro quo Latinè dicitur : *Abi in malam rem , ad orcum.* Non secus etiam apud Prussos hodièque nomen Picolli pueris terriculamento esse solet. Quem autem ex Diis Romanorum Græcorumque huic Pikollo, vel etiam Gothorum Veterum Odino, dicemus fuisse similem ? Nullum certè nisi Plutonem, qui & mortuis & divitiis præerat. Sed & tria illa capita, nimirum hominis, equi & bovis, Ficollo consecrata, referre videntur Cerberum tricipitem, Ditis sive Plutonis canem, inferorum custodem. Eodem modo Gothi Odino suo canes ministros assignarunt, de quibus Olaus Wormius in *Lexico voce German. citante Scheffero.* Deindè & hoc fermè jam ex supradictis patet, faciem illam Picolli pallidam repræsentasse Prussis & *LUNAM*, quæ, cum proprio careat lumine, pallida Luna vocatur à Poëtis. Sed dices, quid Lunæ cum Plutone ? item si Picollos est Pluto quomodo poterit esse Luna ? Sed respondere possumus, antiquis etiam Græcis juxta ac Romanis Plutonem fuisse Solem, sed inferum, cujus comes est nox, omnia tenebris involvens. Non inusitatum quoque est antiquis Lunam appellare Solem nocturnum, ut facit Plinius *lib. 2. Nat. Hist. cap. 32.* Sic etiam Picollus fuit Sol inferus, soli supero oppositus, id est, Luna. Videri possunt, quæ in hanc rem disserit Johannes Schæfferus *loc. citat. pag. 93. sequ.*

VI. Sed veniamus ad tertium Prussorum Numen, quod appellabatur *POTRIMPUS* sive *PATRIMPUS*. Hic imberbi ac lætantium ridentiumque in morem liberaliter exporrectâ fronte referebat juvenem, caput viridante è spicis coronâ præcinctum. Ridebat enim Percuni torvum in se tuentis sive immanitatem, sive vanam sinè viribus iram, ut habet Thomas Clagius *loco citato.* Consentiant Hennebergerus, Schuzius, Waisseilius, alii. In muniis autem Potrimpo competentibus variant ipsorum sententiæ. Hennebergerus ipsum putat fuisse Solem; addit tamen à Prussis eum frugum atque bellorum Deum fuisse habitum. in *lib. de Vet. Pruss. fol. n. b.* Schuzius in terra & aqua imperium, exercuisse Potrimum existimat, ut Percunum in igne, & Picollum in aëre. Martinus Murinius in *Chronico Prussico, quod Polonico scripsit idiomate, cap. 4. pag. 6.* Potrimum existimat fuisse Larem,
five

sive unum ex Diis Penatibus. Videtur autem hoc ex ipso vocis etymo probare velle, quando scribit, Potrimum dictum esse quasi Polonicè diceret; *Bog Oyczyfych*. Exillimat ergò Patrimum à voce Græca simul & Latina *Papas*, id est, *Pater*, derivari posse. Ex his nemo unquam colliget, cui Deorum antiquorum æquiparari possit Potrimum. Tentabimus nos hoc ipsum, ostendere, dummodò prius convenientiam ejus cum Frigga Gothorum Dea indicaverimus. Certè inerberi lætantique illa facie & capite spicis coronato manifestè Friggam Gothorum Deam refert. Et Gothi namque Friggam fingeant inerbem, ut fœminam; statuebant etiam, illam esse voluptatum omniumque deliciarum Deam; Frugibus insuper eandem fuisse præpositam, docent nos Erici Svedici Scriptoris verba: *Friggam*, inquit ille, *pro fertilitate & abundantia frugum & fructuum terre, hominum iumentorumque honorabant & assidue venerabantur*. Quod etiam Hennebergerus de Potrimpo dixerat, bellis ipsum fuisse præpositum; idem de Frigga, testatur Paulus Warnefridi, addit tantum, eam eo modo bellorum Deam fuisse, non ut bella moveret, sed ut eadem averteret, pacemque reduceret. *Vid. Paulus Warnefrid. lib. de Gest. Longobart. cap. 8.* Non alia ea de re tradidit Adamus Bremensis, quando *loc. cit.* dicit, eam pacem voluptatemque largiri mortalibus. *in lib. de Situ Daniæ.* Ex dictis jam elucet, Potrimum Prussorum & Friggam Gothorum, fuisse *Frejam*, id est, *Venerem*, quæ Freja (à Svedis Frigga) dicebatur à *Freyen* Germanico vocabulo. Aliis etiam hæc Dea dicebatur *Hertha*, id est, *die Erde* mater omnium rerum, de qua videri potest Tacitus *in libr. de Morib. German.* Ab aliis etiam dicebatur *Luna*. Venus item aliquando non est alia quam *Bellona*. Idcirco *Venerem* Cytheræi habitu bellico coluisse feruntur. Cyprii quoque *Venerem* Ἐρχέου, id est, hastatam finxerunt. Lacedæmone itidem *Venerem* armatam divino cultu affectam, testis est, præter Pausaniam *in Laconicis*, Ausonius *epigr. 41.* hoc versu:

Armatam vidit Venerem Lacedæmone Pallas.

Sed & Romæ Veneri Victricis templum fuisse dicatum, auctor est Plutarchus *in Pompejo*. Ex his jam constat, omnia ferè quæ de Potrim-

Potrimpo Prusſorum dici verè poſſunt, poſſe etiam Veneri applicari, Solus ſexus dubium alicui forſan movebit, qui in Potrimpo & Veneri, ut & Gothorum Frigga, non eſt idem. Verum & hanc difficultatem nos ſuperatorus ſperamus. Et quidem Frigga nobis negotium facere nequit, cum non ignoremus, eam etiam ab Adamo Bremeniſi appellari, non Friggam Deam, ſed Fricconem Deum. Sic enim ille: *Tertius eſt Fricco pacem voluptatemq; largiens mortalibus. Cujus etiam ſimulacrum fingunt ingenti Priapo.* Undè haut difficulter colligitur, Numen illud apud Veteres Gothos utriusque fuiſſe ſexus. Idem de Veneri dici poteſt, utpote quæ itidem utriusque ſexus fuiſſe creditur. Notanda hic ſunt Macrobii verba *ex lib. 3. Saturn. cap. 8. de prompta*, ubi de Veneri ita loquitur: *Eandem affirmat (Philochorus) eſſe Lunam. Nam & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili, quod eadem & mas exiſtimatur & femina.* Et hæc eſt cauſa, cur Pruſſi Numen illud, quod alii formâ muliebri ſingebant, finxerint formâ virili. Lucem his affundent, quæ habet Joan. Schæffer. *in Uſſal. antiq. cap. 8.* Gerhard. Joan. Voſſius *Idololatr. cap. 27.*

DISSERTATIO IIX.

De

Diis ſecundi & tertii Ordinis.

- (1.) *Inter plures Deos diſcrimen aliquod agnoverunt olim Romani, Gothi, Pruſſi. Tres Dii minorum gentium apud Veteres Pruſſos.* (2.) *Curcho primus inter Deos minores.* (3.) *Dicitur etiam Curche, Gorcho, Gurcho. Ubi fuerit cultus. Ejuſ ſtatua. Quibus præſuerit rebus.* (4.) *Worſzkaitus & Iſchwambratus antea Waidewutus & Prutenus. Hi pro populo ſe Diis manibus devoverunt. In Deos relati. Vorſkaito, dubium Deum an Sacerdos. Quod fuerit Worſkaiti & Iſchwambrati impc.*